

18. *SALSOLA prostrata* lignosa, ramis filiformibus adscendentibus, floribus conglomerato-spicatis.

An Kali fruticosum hispanicum, capillaceo folio villoso?  
*Tournef. inst. 247.*

*Habitat* Madriti ad latera collium, citra fontem regium vulgo la fuente del Verro.

*Radix* perennis, lignosa, digiti & interdum pollicis crassitie, profunde descendens.

*Caulis* plures ex radice, basi tortuosi, sed teretes, lignosi, plerumque glabri.

*Rami* procumbentes, adscendentes, viminei, filiformes, teretes, glaberrimi, pedales usque bi- & tripedales, simplicissimi.

*Folia* lanceolato-lineararia, plana, sericeo-incana, inermia, acuminata, alterna, inferius confertiora, supra remotiora cum fasciculis parvis, foliosis, ex alis inferioribus.

*Flores* summos ramos totos occupantes, spicati: glomerulis alternis inferius remotis, alternis superius versus summitates confertim spicatis.

Glomerulus singulus subrotundus ex ala folii s. Bractææ 3. 4. 6 floribus sessilibus, compositus, absque bracteis aliis interstinguentibus: receptaculo communi piloso.

*Bractea* s. folium glomerulis dorsale, oblongo-lanceolatum, floribus paulo majus.

**CAL.** *Perianthium* pentaphyllum, depressum, obtuse pentagonum, supra planiusculum cum acumine: foliolis ovato-acutis, concavis, medio dorso horizontaliter angulato, h. t. absque alis membranaceis.

**COR.** nulla.

**STAM.** *Filamenta* quinque, calyce paulo minora. *Anthere* oblongæ.

**PIST.** *Germen* orbiculato-subrotundum, s. paulo depressum. *Styli* duo, erecti, calyce longiores. *Stigmata* simplicia.

**PER.** *Capsula* depresso-globosa, unilocularis, testa h. t. Calyce pentagono, ex angulis calycis horizontalibus, a-  
lis membranaceis, patentibus, quadrato-linearibus, integerrimis vel suberosis, nunquam sibi mutuo incumben-  
tibus, sed sinu interstitiali, linearis remotis.